



P 4

~~P 17~~ EX BIBLIOTH.
 NATIONIS HUNGAR.
 VITEBERG.
 17-49.
 SIGNAT. MDCCCLXIII.

Primam & ultimam dissertationem
 idem qui obtulit ceteras
 cum iam in Bibliotheca
 Volcan. Diss. Veron. loc. & A
 reperant, excedit.



Q. D. B. V.

De

STATU
INDURATORUM,

ex

Consensu Facultatis Theologicæ,

in

Academia Lipsiensi,

moderante

ADAMO RECHENBERGIO,

S. Theol. D. & P.P.

Dn. Præceptore atque Hospite suo

aratum devenerando,

in

Acroaterio Colleg. Maj. Principp.

d. XXIII. Nov. A. Chr. M DCC.

solemniter disputabit

M. SAMUEL BARTHEL,

Grimma Misnicus.

L I P S I Æ,

Typis JO. HEINRICI RICHTERI.

30.

27

v. Bigæ

Celeberrimorum Theologorum & Philosophorum,

VIRIS

Maxime Reverendis, Amplissimis Excellentissimisque,

DOMINIS

JOHANNI CYPRIANO,

SS. Theol. Doctori ejusdemque Professori Publ.

Extra-Ordinario, ut & Physices Ordinario, Collegiique
Maj. Principp. Collegiati Gravissimo:

Nec non

JOHANNI SCHMIDIO,

SS. Theol. Doctori & ejusdem Extra-Ordinario,

Eloquentiæque Professori Publ. Ordinario, Alumnorum Electro-
ralium Ephoro & Collegii B. Mariæ Seniori & Præposito
undiquaque meritissimo

*Præceptoribus atque Patronis suis
æternum devenerandis,*

has studiorum Theologorum primitias,

in gratæ mentis tesseram,

dedicat

M. SAMUEL BARTHEL,
Grimmen⁶.



I. N. J.

§. I.



Vanquam omnium peccatorum, & atrocium imprimis magna miseria atque infelicitas est; penitus induratorum tamen sortem omnium miserrimam atq; deploratissimam esse, nemo facile inficias ibit. Cum enim illi per veram poenitentiam, hoc in mundo gratiam adhuc consequi possint; hi gratia Dei, propria quidem culpa ob perseverantem impoententiam exclusi, exitium sibi attrahunt aeternum. Operæ inde pretium mihi visum est, loco speciminis theologicæ, *miserrimum induratorum statum*, ex divinarum literarum monumentis, paulo uberius exponere: ut cum metu ac tremore salutem nostram operari, atque indurationis periculum magis evitare studeamus; *Phil. II. 12. Ebr. III. 3.* Enimvero quo gravior difficiliorque hæc videtur contemplatio; eo ardentius in Christi nomine, implorare benignissimum Patrem cœlestem convenit; ut gratia opeque sua adesse atque regere nos Spiritu suo dignetur.

§. II.

In hujus autem argumenti pertractatione, SUBJECTUM ante considerandum venit, quam ad descriptionem STATUS ejus progrediar. Illud vocabulo, *indurati*, exprimitur: cuius primitivum *durus*, proprie de corporibus solidis & maxime compactis, ut ossibus, lignis & lapidibus usurpari solet. Uti passim apud poetas aliosque scriptores, leguntur *dura cautes*, *dura flex*, *durior annosa quercu*, & similia. Quemadmodum vero oppositum ejus *ἰὸ μολε*, & mollities, in s. literis contritionem ac

pœnitentiam, *Paral. XXXIV. 27. Ezech. XXXVI. 26.* ita ἴδ' *durum*, seu *durities* pravitatem ac pervicaciam mentis denotat: Ut videre est, *Exod. XIII. 15. Ez. II. 4.* Ad eundem quoque modum, vox *induratum* id proprie significat, quod solvi aut subigi vel difficulter, vel plane non potest. Per metaphoram vero ad homines, eorumque animos pervicaces atque affectus transfertur. Quod loca ex divinis literis mox alleganda demonstrabunt.

§. III.

In Ebræo idiomate usitatum est verbum כָּבֵד quod sine addito, *gravescere*, & in *Piel*, pondere quasi imposito aggravare significat, ut *Habacuc. III. 2.* avarus super se lutum aggravare dicitur. LXX. adhibent βαρύνειν. Sed cum addito, *cor aggravare*, idem est, ac *indurare*, uti *Avenarius* observat in *Lexico p. 358.* Aggravatum igitur hominis cor est, quando id peccatorum mole ita oneratur, ut se ad Deum erigere atque converti nequeat, Non infrequens etiam usus est vocabuli פָּיַן *pravaluit, obfirmatus est*: Quod in *Pf. CXLVII. 13.* occurrit de vectibus portarum roboratis, adversus quos hostis pravalere nequit. Græci interpretes verterunt per καλῶναι. Quemadmodum enim urbs quædam vallo, muris, atque portis adversus vim externam munitur: Sic *induratum* cor, malitia quasi septum atque obfirmatum est; ita, ut verbum divinum penetrare nequeat. Frequentissime autem verbum חָזַק invenitur, quod *indurescere*, seu cordis duriem augere magis notat. Id accidit, quando vel ex molli, seu renato per peccata regnantia, fide excussa, animus peccantis iterum occalescit. Uti Israëlita induruerunt *Pf. XCV. 8.* vel ex duro, seu non - renato durior, uti Pharaõ, *Exod. VII. 3.* fit. LXX. Interpp. usi sunt voce σκληρύνειν, à σκληρός, quæ duriem ex ariditate ortam notat: adeoque induratus vi hujus vocis est, cujus cor exhausto velut gratiæ divinæ succo exarescit, lutique aut lapidis instar obdurescit. Conf. *Meissn. Disput. IX. Anthropol. p. 391.*

§. IV.

Varii præterea adhuc generis voces ac phrasas in s. literis occur-

occurrunt, quæ vel affectiones, vel proprietates induratorum denotant. Illarum *aliæ* membra corporis ac instrumenta sensuum, *aliæ* animum & ejusdem indolem respiciunt. Hinc melioris intellectus causa, paullo distinctius easdem perlustrabimus.

§. V.

Per corporis membra, indurationem *Zacharias* describit, *scapularum auriumque* mentionem faciens, *Cap. VII. 11. 12.* Avertentur *scapulam recedentes* & *aures suas aggravarunt, ne audirent.* Primum dicit: *וַיִּתְּנוּ כַתְּף סוּרְרָרָהוּ scapulam deflectentem,* seu averfam, *dederunt.* Qui mos eorum est, qui cum salutaria admonetur, aut etiam ob perverfitatem vitæ morumque reprehendantur, indignabundi sese avertunt. Inde hic Judæorum fastidium & contemptus Dei ac legum divinarum notatur. Deinde addit Propheta: *aures suas aggravarunt,* id est, de industria obstruxerunt, ne oblati verbi divini sonus forte animum penetraret. Hinc *Esa. VI. 10.* *aures* dicuntur graves: Et *Matth. XIII. 15.* de Judæis legitur, quod *לֹא שָׁמְעוּ אָזְנוֹתֵיהֶם, graviter auribus suis audiverint,* hoc est, animo auditas sententias non recepserunt; licet verba auribus adsonuerint. v. *Joh. Schmid. in cap. VII. 11. 12. Zachar.* Porro huc spectat vocabulum *Cervix,* quæ nervus ferreus dicitur *Esa. XLVIII. 4.* Quod si cum nomine durus, aut ferreus, aut etiam cum verbo indurare in Scriptura S. conjungitur, protervam mentis contumaciam notat. Sic *Exod. XXXIII. 5.* *Israëlitæ à Deo dicuntur קָשָׁה עַמּוֹתָא populus durus cervice:* quia humiliter coram Deo incurvari, aut flecti noluerant. *Conf. Glass. Phil. S. p. 1269.* Metaphora in ejusmodi vocibus ac phrasibus petitur vel ab equo indomito, qui nimis ferociens, cervicem suam non patitur inflecti, sed potius pertinaciter fræna mordet & reluctatur: Vel à servis contumacibus, qui ad vocem domini revocantis, ne collum quidem reflectunt; ut animum obsequiosum testentur. *Flac. Cl. p. 114. seq.* Simili modo sese habet animus induratorum Spiritui S. resistentium.

§. VI.

Esaías XLVIII. 4. cum *cervice ferrea* conjugit *frontem aneam*. Quae quidem nonnunquam in Scriptura S. proconstante ponitur, ut *Ezech. II. 8. 9.* ubi Deus ad Prophetam: *dedi frontem tuam fortem, seu constantem contra frontem eorum &c.* Sed eo dicendi genere, h. l. perfricta frontis ac impudens valde designatur peccator. Frons quippe sedes pudoris habetur; inde mollis frontis, facile erubescens ac alios reverentes dicuntur. Quod si vero quis eo impudentiae procedit, ut ne maximis quidem sceleribus patris amplius erubescat, is dura perfrictaque frontis homo dicitur. Quia depudit, aut pudorem absternit: seu uti *Martialis l. IX. Epigr. XXIX.* loquitur: *Perfricuit frontem, posuitque pudorem.* Simili modo haec phrasia in s. literis l. c. & alibi adhibetur. Huic affinis est locutio *Fer. V. 3. Roboraverunt facies suas praepetra.* Equidem faciem ponere, certum alias animi propositum in sacro codice significat, ut *Fer. XLII. 15.* Sed *roborare faciem*, h. l. idem est, ac obfirmare mentem, pertinaciter malitiae impietati inhaerendo, nec verbo Dei arguenti cedendo. *Flac. Clav. p. 301.* Judaei ergo hic arguuntur, quod destinato consilio, & exuta omni Numinis reverentia, peccare contra conscientiam non erubuerint.

§. VII.

Ad indolem induratorum designandam, referuntur *oculi clausi* *Es. VI. 10. oculos eorum claudite, ne forte videant.* Ubi Deus inexpugnabilem Judaeorum obstinationem excœcatione puniendam innuit. Cum enim ipsi ex malitia videre nollent, quae tamen per gratiam divinam poterant, ex justo Dei judicio deferti, & naturali & spiritali lumine privandi dicuntur. Unde *Matth. XIII. 15. Ἰησοῦς εὐφραμὲν ἀψὼν ἐκὰ μυσσάν, oculos suos clauserunt:* adde *Job. XII. 40.* nec non *Pf. LXLIX.* ubi Messias de hostibus suis: *obscurentur oculi eorum, ne videant.* Quorum sensum verborum B. D. Geierus in Comment. ad h. l. ita exprimit: *Priva, inquit, malitiosos hos gratia contemtores lumine intellectu*

ctus

Etiam tum naturali, tum spiritali, quo hactenus tam turpiter abusi sunt, & quod admittere recusarunt, fac, ut iusto tuo iudicio obbrutescant, excœcatique sic ruant de plaga in plagam, de fovea in foveam.

S. VIII.

Proprium indurationis subjectum, animam puta, alia locutiones hic adducendæ innunt: ut sunt καρδια ἀμείλιτα Rom. II. 5. Quando homo divitiis benignitatis atque longanimitatis divinæ, quæ ipsum ad pœnitentiam invitabant, spernit v. 4. & inveterata consuetudine peccandi, ἡν σκληροτέτα contractit v. 5. Ex qua non potest non consequi cor impœnitens, h. e. quod pœnitentiam non solum agere non vult, sed contra pœnitentiam inclinatum & obfirmatum est, ut illi locus non relinquatur. Ex qua pessima animi pervicacia, plura subinde peccata, tanquam fecunda vitiorum matre, nascuntur. Dicente enim nostro Luthero: peccatum pondere suo semper secum trahit aliud peccatum, & facit æternam ruinam, donec homo peccator tandem Deum potius accuset, quam ut agnoscat peccatum suum, in Comment. ad Genes. c. III. p. 39. collat. eod. in Cap. XXXIV. p. 472. Similes descriptiones, quæ passim occurrunt, hic cumulare superfedeo.

S. IX.

Vocabula excœcationis & indurationis, hic quidem vulgò promiscue usurpantur; sed si illorum proprius significatus attendatur, illud intellectum, hoc voluntatem & appetitum sensitivum respicit. Quanquam excœcationem semper consequi induratio soleat. Id quod ex doctrina, de conversione hominis intelligi potest. SUBJECTUM ergo excœcationis & indurationis quo, est anima hominis cum suis propriis facultatibus. Sicut enim conversio in nobiliori hominis parte recipitur, puta, in animæ facultatibus, intellectu & voluntate. Ex illo quippe per lucem Spiritus S. mediante verbo Dei, ignorantia tenebræ depelluntur. Eph. V. 8. Act. XXVI. 17. 18. in hac (voluntate) vero

ἀδυναμία

advena ad bona spiritualia amplectenda, per gratiam in conversionis actu datam, tollitur, *Job. VI. 65. Eph. II. 5. Philipp. II. 13.* inde etiam *adpetitus sensitivus*, qui natura ad malum propender, mutatur; ut homo conversus, motus carnales suppressere vel mortificare incipiat. *Rom. VIII. 13.* Ita *excecatio & induratio* ex opposito, has animæ nostræ facultates respiciunt. Per *illam* lumen gratiæ in intellectu accensum extinguitur; per *hanc* facultas spiritualis assentiendi verbo Dei & amplectendi Christum auferitur. Unde non potest non *adpetitus sensitivi* dominium velut reviviscere, ut talis homo iterum fiat servus peccati, quod in suo mortali corpore regnare patitur, ac obediat isti per cupiditates suas, *Rom. VI. 12. 14. 20.* Uti enim servus mancipatus est hero ad iussa ejus capessenda; ita voluntas & *adpetitus* hoc ipso, peccato regnanti mancipantur, ut ejus inpullu non nisi peccatum o-
perentur.

§. X.

Induratus hinc non tantum duritie insita & connata, quæ omnibus irrogenitis communis est; sed etiam affectata & sponte contracta laborat, quæ per peccandi consuetudinem inducitur. Per hanc enim voluntas ad malum alias per naturam propendens obfirmatur; ut illam exuere amplius sine divina gratia haut valeat. Hæc mentis obfirmatio seu determinatio ad malum, *σκληρυνσις durities* appellatur *Rom. II. 5. σκληροκαρδια, durities cordis Matth. XIX. 8. παρωσις τῆς καρδιας induratio cordis, Marc. III. 5. Eph. IV. 18. cor durum, Ezech. III. 7. cor lapideum c. XI. 19. cor panitere nescium, Rom. II. 5.*

§. XI.

Homo igitur talis continuando peccata regnantia, in eum statum relabitur, quo fuit ante regenerationem; quia fidem & Spiritum S. penitus amittit: Ut hac ratione, inter irrogenitum & penitus induratum nihil discriminis intercedat. Cum præter fiduciam in voluntate, etiam assensum perdidit, quem verbo Dei alias præbuerat. Quod videre licet in atheo *Psal. XIV. 1.*

Quia

Quin imo excœcatus & induratus deterioris conditionis, quam irreginitus aut paganus est. Quia in illo major animi obstinatio ac malitia est, quam in irreginito, qui nunquam fidei lumine collustratus fuit, aut bona cœlestia gustavit. Hoc Petrus 2. Epist. II. 20. & seqq. diserte docet: *si enim resurgentes, ait, coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri & salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Melius enim erat illis non cognovisse viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illi traditum est, sancto mandato, &c. Ac licet in homine excœcato & indurato, adhuc aliqua mysteriorum fidei notitia sit reliqua; ista tamen sine spiritali assensu & fiducia, vana est; ut in excœcatis Judæis & obstinatis divinæ veritatis hostibus videre est. Qui inde cæci dicuntur, *Matth. XXII. 16.* & seqq. *Job. IX. 39.* quorum oculi sunt obtenebrati, ut non videant. *Rom. XI. 7. 8. 10. 2. Cor. III. 14.* Quare cognitio dogmatum divinorum in excœcato, perinde, ut lumen naturæ, à pagano in injustitia, detinetur. Est enim *ἐσκόπισμένος ἢ διαχέει, obtenebratus mente, Ephes. IV. 18.*

§. XII.

Causæ hujus excœcationis & iudurationis sunt ipse homo, diabolus, Deus. Prima, HOMO, qui verbum Dei, quod lumen est, negligit atque contemnit; & dum cupiditatibus carnis simul frana laxat, ac peccandi inolita consuetudine perseverat, *Pf. LXXXI. 13. Rom. I. 28. seqq.* in statum irreginiti relabatur, & à vita Dei propter ignorantiam, quam affectavit, abalienatur, *Eph. IV. 17. 18.* Unde per peccata regnantia, fide excussa, tenebræ in intellectu, & in voluntate aversio à Deo succedunt, quæ accedente contumacia indurationem efficiunt, *Ebr. III. 12. 13.* Hinc conscientia callum obducit, *1. Timoth. IV. 2.* ut homo *ἀπληγνικῶς καὶ ἀναίδητος*, quod spiritualia attinet, reddatur. Qui faciendo malum lætatur, & in perversitatibus suis exultat, *Prov. II. 14. Es. III. 9.* cui postea accidit, quod Jeremias ait *c. V. 3. Percutis cor, Jaboria, sed non dolent.*

B

§. XIII.

DIABOLUS secunda causa est, qui deus hujus seculi adpellatur, & in filiis, *ἀνεθετός, contumacia* operatur, *Eph. II. 2.* mentes horum excæcat *2. Cor. IV. 4.* ipsosque impellit, ut ex peccato, in graviora subinde peccata ruant. Singulorum quippe hominum temperamenta, animique inclinationes scrutatur, peccandi occasiones suggerit novas, iudicium intellectus per falsas species rerum, aut turbatos affectus obnubilat, atque excitata in voluntate peccatorum morosa delectatione, eam ad plenum consensum allicit, atque ad patranda alia subinde scelera magis magisque sollicitat. *Leo M. Serm. VII. de Natal. Domin. f. 21.* breviter astus & insidias diaboli declarat: *Novit, cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebras gula ingerat, cui adponat incitantamenta luxurie, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilet curas, scrutatur affectus: Et ibi causas querit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.* Inde ambitiosum per honores, gulosum per delicias, avarum per pecunias tentat & fallit. Si vero per suggestiones pravas, in retia sua homines pertraxit, id operam navat, ut mentes eorum captivas teneat ad nutum suum, ne respiscendo, sibi elabantur. *2. Timoth. II. 26.* B. D. Carpzovio in *Isagog. in A. Confess. Artic. XIX. p. 202.* indicante, non tantum in animos hominum ita irrepit; sed vim locomotivam quandoque determinat, quod & dictis & exemplis latronum, *δύο κλέπται, veneficarum* probari posse, affirmat. *D. Sebast. Schmidius* quidem operationem Satanæ in corpus & in mentem hominis admittit in *disput. de Phrasi, indurare, p. 24.* aliquid tamen in animo vel creare, vel auferre posse recte negat; dum vero addit, eum nec illuminare physica luminis infusione, nec excæcare luminis extinctione valere; dubium forte ex locis jam adductendis moveri poterat: si n. ille permissione Dei, mentes fidelium excæcat, *2. Cor. IV. 4.* & verbum Dei, quod lumen est, ex corde indurati

Relat. 170

durati rapit, *Marc. IV. 25.* sane etiam ad extinctionem luminis gratiæ concurrere ipsum oportet. Verum nostræ sententiæ id non repugnat, etsi modum concursus præcise determinare nesciamus. Confer. *D. Mylii Explicat. A. Confess. artic. XLX. p. 244. sequ.*

§. XIV.

DEO vero justissimo scelerum vindici, excœcationem & indurationem Formula Concordiæ tribuit *Artic. XI. p. 808.* Deus in suo æterno consilio decrevit, quod eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, & Spiritui S. (qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contumacia perseverant, **INDURARE, REPROBARE ET ÆTERNÆ DAMNATIONI DEVOVERE REVELIT:** p. 820. Sed & hoc magna cura considerandum est: Quando **DOMINUS PECCATA PECCATIS PUNIT:** hoc est, cum eos, qui aliquando conversi fuerunt, propter subsequentem securitatem carnalem, impœnitentiam, contumaciam in sceleribus, & propter voluntaria flagitia **PUNIT EXCOECATIONE & INDURATIONE:** item, quod sponte deficientes à fide & pietate, si contumaces sint, & Spiritum S. contumelia afficiant, severissime punire velit, & quod tales, si in impietate perseveraverint, **INDURANDI, EXCOECANDI & IN ÆTERNUM DAMNANDI SINT:** item, quod Dominus cor Pharaonis induraverit, manum ab eo suam retraxerit, cum deseruerit. Confer. pag. 813. 820. sequ.

§. XV.

Quæ assertio s. literis plane congruit. Ego, inquit Dominus *Exod. IV. 21. indurabo, cor ejus (Pharaonis) c. VII. 3. Ego indurabo cor Pharaonis, ut multiplicem signa mea & prodigia mea in terra Ægypti. c. IX. 16. Propter hoc stare feci te, ut ostendam tibi virtutem meam, & annuncietur nomen meum in omni terra, Rom. IX. 17. Deuteron. XXVIII. 28. Percutiet te Jehova furore & cecitate & stupore cordis, Rom. I. 28. Jesh. XXIX. 10. Effudit super nos Jehova*

Spiritum somnolentia, & occlusit oculos vestros; Prophetas & capita vestra, & videntes obtexit. Rom. X. 8. Dedit illis Deus Spiritum somnolentia (πνεῦμα κατανόησε) 2. Thesal. II. 11. mittet illis (contemptoribus gratia) operationem erroris, ut credant mendacio.

§. XVI

Hoc quomodo fiat, a multis Theologis, qui de induratione Pharaonis ex instituto egerunt, abunde jam passim expositum est: nempe non *effective*, sed *permissive* Deus indurare dicitur: aut brevius: *Punit Deus induratione, non duritiem efficienter immittendo, sed deserendo, permittendo & Satanae tradendo, id quod Chemnitius in LL. Theolog. part. 1. de caus. Peccati, f. 149. sequ. prolixius exponit.* Dum enim Deus manum suam retrahit, refractarios ob contumaciam deserendo, perversa voluntati permittit, ut tandem Satanae traditi, sua culpa magis excœcentur & indurentur. *Actus hic Dei juxta Formulam Concordiæ Judiciarius est, qui in Isagoge Carpoviana in libr. Symbol. p. 1647. sequ. declaratur, & p. 1649. notandum additur: Secundum Dei providentiam infallibilem, illi NB. OMNES GRATIA FINALITER DESERUNTUR, qui media vel nunquam recipiunt, vel NB. RECEPTARE FICIUNT.* Conf. Meisneri *Anthropol. Dec. I. disput. IX. p. 393. Menzeri tom. II. opp. Theolog. p. 1193. Æg. Hunnii de Provid. tom. I. opp. f. 732. sequ. & D. Rappolti Disput. VII. opp. suorum p. 1656.*

§. XVII.

Quod actum igitur hunc indurationis judicarium attinet, exemplo Pharaonis illum insignis olim Roskochiensium Theologus D. Aug. Varenius, in *Paulo Evangelista Romanorum disp. X. super cap. IX. Rom. p. 333. sequ. declarat: Allegatur, inquit, tremendum Pharaonis exemplum v. 16. uti constat ex particula γὰρ. Deus dicitur excitasse Pharaonem ad hoc ipsum, ut ostenderet in illo potentiam suam, & ut nomen divinum annuntiaretur in tota terra. De voce קַיִן, קַיִן אֵשׁ קַיִן quæ stio est. Fons quem allegat Apostolus, est Exod. IX. 16. ibidem est vox קַיִן אֵשׁ קַיִן cujus emphasis vulgo*

vulgo urgeatur, & exinde Apostolus mitigatur, ut sibi ἐξήρατο, idem, quod stare te feci, te toleravi, & sensus permissivus, sustinuiti & tolerati habentis in vita, à Dei maxime Divitias Pharaonis. Sed vereor, ut subsistat emphasis illa. Ubi enim ista in usu Hebraeorum? cui certe magis convenit vox & nexus Apostoli, excitavi, constitui te, vel JUDICIALITER & POENALITER induravi te. Confer. v. 18. ubi certe ex Pharaonis exemplo probat apostolus illud: Deus, ὃν θέλει, σκληρύνει, i. e. quem vult, indurat: uti ex superioribus v. 13. & 15. illud: ὃν θέλει ἐλέει. Excitare ergo illud, est indurare. At indurat etiam Deus, dum facit stare, ut jam ἦν σκληροκαρδία καὶ ἀμετανοήσια καὶ δαχὴ relictus, & diabolo traditus, quo magis & gravius delinquit, eo gravius puniatur. Causa illius excitationis, ut scilicet in Pharaone ostenderetur potentia Dei, & ut annunciaretur nomen Dei in tota terra, non est, quod peccata Pharaonis excefferint Dei misericordiam, sive Ἰουδαίων πλεονασμὸν Ἰησοῦ χριστοῦ: nec quod Deus non potuerit invenire alium aequè malum & sed quod Deus ita voluerit; ut scilicet in Pharaone agnoscat orbis tremendum, se verum, liberumque Dei iudicium. Neque ergo de intentione divina dirigenda pertinacie Pharaonis in usum tyranni salutare, hic loquitur Apostolus; sed de causa obdurati contumacis tyranni modo penali. Neque tamen dicitur Deus Pharaonem feriantem & quasi dormientem è somno excitasse ad rebellandum, ad peccandum, ad resistendum, excussisse, indurasse, & ex tanto peccantium numero, ad exemplum divini iudicii selegisse, vel ad ostensionem potentie sue deputasse: neque adeo aliud hinc sequitur, quam Deum antecedenter peccatores impenitentes, induratione iuste punire. Pharaonem esse excitatum, esse induratum à Deo, & nos cum scriptura dicimus: At nos illam excitationem & indurationem penalem, non criminalem, voluntatis consequentis, non antecedentis esse, statuimus: adeoque jam supponimus ANTE hanc excitationem à parte Pharaonis invincibilem & durabilem resistentiam, ac superbissimam repugnantiam: à parte Dei longanimitatem tolerantiam, quam ordo miraculorum & legationum Moysi in

Exodo ad usque cap. XIV. clare exprimit: Neque enim qui omnium miseretur, absolute salutis media Pharaoni denegavit: Sed NB. post superbissimam repugnantiam & multam tolerantiam NB. **AUFERENDO OMNEM RESIPISCENTIÆ GRATIAM**, Pharaonem jam durissimum induravit, dum tale iustitiæ & patientiæ suæ spectaculum illum esse voluit. Concludit ergo Apostolus v. 18. non esse injustitiam apud Deum; licet quos velit, misereatur, & eligat; quos velit, induret. Quinam autem illi sunt, quos velit indurare, vel quorum velit misereri, non hic, sed infra dicitur. Illustratur enim gratia ex duobus Pharaonibus eque refractariis: Si Deus ex illis, unum per extraordinarium & irresistibilem gratiæ gradum convertat: alterum ordinariæ summa gratia adfectum, ut **IUSTUS JUDEX INDURET**, & id constituat, ut ostendatur in illo potentia divina, & nomen Dei annuncietur in tota terra; sanè cum in utroque fuerit fundamentum reprobationis, discretio illa unice est à misericordia respectu unius electi: à **VOLUNTATE VINDICATRICE**, respectu unius indurati. Reprobatio quatenus est actus divini iudicii, tam est extra summum Deum incommunicabilis, quam actus iudicandi vivos & mortuos: & hoc respectu finis abstracti, solam Dei voluntatem eamque liberam esse causam reprobationis, non negamus. Hæc B. Varenius: Cujus verba hic integra transcribere, ad rem præsentem facere videbatur. Confer D. Menzeri *Analyfin* cap. IX. *Epist. ad Rom. tom. I. disput. Theol. Giesens.*

§. XVIII.

Cæterum modus excœcationis, ut peccandi, Deo in divinis literis tributus, verbis quidem activis exprimitur, 1. *Reg. XXII. 23.* 2. *Paralip. XVIII. 21.* *Ies. XIX. 14.* *LXIII. 17.* *Iob. XII. 40.* 2. *Thessalon. II. 11.* Sed quæ, monstrante M. Chemnitio in *LL. Theolog. de causa peccati, c. IV.* permissivè explicanda sunt; ne in Deum culpa mali, quod semper odit, *Psal. V. 5.* redundet. Haut pauci Theologorum, verba isthæc, per negationem aut subtractionem gratiæ atque illuminationis, exponenda esse statuunt; ita,

ita, ut excœcare & indurare, nihil aliud sit, quam illuminationis non impertiri gratiam. Quorum sane circumspeditionem *Hutterus* laudat; animadvertit tamen, illos nodum non solvere. Quia si duo isthæc, *indurare*, & *non illuminare*, debeant esse *ἀντισέφοισα* convertibilia; ut Deus eum excœcare & indurare dicatur, quem non illuminat; certe pro excœcatis & induratis habendi sint omnes illi, qui in peccatis atque incredulitate pereunt sua. Id quod est absurdum, & divinis literis contrarium. Non enim ut *Meisnerus* in *Anthropolog. disput. IX. decad. i. p. 295.* recte observavit, omnes reprobi sunt indurati: quamvis omnes indurati sint reprobi. Quare *Hutterus*, ut hunc nodum solvat, *LL. Commun. de Causa peccati f. 236.* statuit, per excœcationem & indurationem, & his consimilia vocabula, exprimi singulare aliquid supplicii genus, non omnibus impiis commune; sed illorum proprium, quos Deus singulari iræ & vindictæ suæ furore punire solet. Deinde, ait, *aliquid amplius addendum fuerit, quod est evidentem aliquam Dei operationem, & tamen talem subinferat, quæ Deum a causa peccati penitus eximat.* Id quod quinque allatis observationibus declarat, quæ descriptam permissionem Dei non plane negativam inferunt. Quod *Meisnerus loc. cit. p. 299.* ulterius declarat, demonstrando, Deum non esse causam indurationis, quatenus est peccatum; sed quatenus est malum poenæ, ac miserum hominis ita præfractæ peccantis ac semetipsum indurantis statum connotat. Et, si quis instet: tales adhuc verbum Dei habere, quod non sit inefficax: *Hutterus loc. cit. hypothef. V.* responderet: Quemadmodum soli per accidens tribuitur, quod ex ejus ortu atque splendore caliginem & dolorem sentiunt lippi, aut qui alio oculorum vitio laborant; ita per accidens quoque Deo, ejusdemque verbo, miraculis & beneficiis obringit; ut ex eorum summa & utilitate & præstantia eorum animi magis obrigescant & indurentur, qui sunt perveraces & inexpugnabiles, ut e. gr. uno eodemque verbo, quo illuminati sunt Israëlita, excacati fuerunt Pharaó & Ægyptii:

ptii: id quod per accidens fieri, manifestum est. *Confer. 2. Cor. II. 16.*

§. XIX.

Atque hoc ante eum, Theologus non minus eruditione, quam prudentia insignis, *D. Georgius Mylius in August. Confess. Artic. XIX. p. 240.* docuerat, quando Patrum sententiam, qui excoccationem & indurationem Dei permissioni tribuunt, allegat. Quam illorum modestiam ut merito commendat: ita minime periculosum existimandum censet, si permissioni non nihil addatur; quod nec voluntatis, nec voluntatis rationem simpliciter & omnino habeat, & nec actio sit Dei proprie, nec sola etiam permissio. Et quidem (pergit) si recta lance rem ponderemus, permissio ipsa species quadam voluntatis est in Deo, licet non sit efficax aut operosa voluntas. Nam aut volens permittit Deus, aut nolens atque invitus: Posterius hoc non fert Dei omnipotentia. Deus enim, que vult, facit omnia, & voluntati ejus nemo resistit. Restat ergo, ut permittat saltem aliquatenus volendo. Si quis querat, quomodo fiat, quod omnino non vult Deus. Dirimit ergo hanc ambiguitatem Augustinus, his verbis, in *Enchirid. ad Laurent. c. 100.* Miro & ineffabili modo non fit præter Dei voluntatem, quod fit etiam contra ejus voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens finit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene, *Confer. Balth. Meisjn. Anthropol. Decad. I. disput. IX. q. VII. n. XI.*

§. XX.

Voluntas nimirum Dei judiciaria sese hic exerit, qua illorum peccata, qui voluntatem misericordiae suae in verbo declaratam improbe repudiarunt, vindicat. Unde *Ag. Hunnius in artic. de Provid. Dei, & atern. prædestin. præfat. apologet. adversus D. Tosanum p. 27.* scribit: Permittit autem illas (pœnas excæcationis) Deus, & quidem voluntate consequente, *VOLENSES*, ut induretur Pharae aliique impii: quantumvis duritiam ipsam, qua

qua se opponunt opifici suo, non velit; quippe natura sua & voluntati perfecte & ex toto contrariam, sed in poenam antecedentium peccatorum fieri sinat. Confer. B. Gerbardi Aphorism. Theolog. de Provident. S. 63. 64. seqq. Permittit ergo diabolo, ut contumaces peccatores excœcet & induret magis, nec obstat amplius, cum tales, gratia sua & auxilio, jam ob antecedentem contumaciam destituerit. Hoc D. Mylius in explic. A. Confess. Artic. XIX. p. 241. declarat exemplo 1. Reg. XXII. 23. 2. Paralip. XVIII. 20. 22. quando Deus, Satana, ad exsequenda sua judicia, ministro usus est. Qui Calvini horrendum placitum de absoluto prædestinationis decreto sequuntur, illi Deo, salvis suis hypothesibus, indurationem positive & effectivæ non possunt tribuere. Aut enim volunt illam fieri in *electis*, aut in *reprobis*: in electis eam fieri, aut fieri posse, impossibile est; induratio enim juxta illos est effectus reprobationis, in reprobis eam effici aut fieri, itidem est impossibile: quia juxta ipsos, reprobi cæci & indurati nascuntur, & tales manent ad mortem usque; ita, ut non tantum cæci ac indurati esse velint, sed & non possint non tales esse. Cæcum autem & induratum, immo induratissimum indurari posse, quis nisi cæcus aut vacors dixerit? quare nolimus hic eorum *εὐκλήματα* sapius discutere.

S. XXI.

Sed de divina *desertione* hic agendum venit, quæ indurationem hominis obstinati & refractarii cum antecedit, tum comitatur, consistens in subtractione gratiæ antea concessæ & denegatione ulterioris, ob repudiatam priorem gratiam. Quam traditio in potestatem Satanae insequi solet. Quod exemplo Saulis 1. Sam. XVI. 14. & aliorum constat. Iste quidem 1. Sam. XXVIII. 6. illam iterum, metu tantum poenæ imminenti, non amore offensi Numinis sanctissimi, sollicitavit; at Deus hanc impœnitenti *reduplicative* sic dicto indulgere abnuit. Theologi eam vulgo *desertionem negativam* vocant. Proverb. I. 28. *Tunc clamabunt ad me, sed non exaudiam; mane quærent me, sed*

non invenient me. Dimittet enim tales secundum desideria cordis sui, *Psal. LXXXI. 12. 13. Rom. I. 28. V. Hutteri LL. commun. f. 799. & Ag. Hunni Postill. part. II. f. 376.* ubi loc. cit. de desertione Dei ante finem vitæ exponit. §. XXII.

Desertio autem Dei vel denegationem felicitatis corporalis seu temporalis, vel spiritualis ac æternæ respicit. Ultramque Deus quandoque contumacibus & induratis, sed cum discrimine comminatus est, Deut. XI. 26. 27. 28. C. XXXIII. 28. 29. C. XXXI. 16. 17. 18. ita, ut peccata regnantia, quæ seria poenitentia non eluuntur, privationem utriusque felicitatis attrahant; cum per transgressionem legis divinæ, & abruptum simul cum Deo initum fœdus, Israëlita maledictionis cum temporalis tum æternæ rei fierent. *Jesaias C. LXV. 5. 12. 13. 14. seqq.* liquido id etiã docet. *Conf. D. Seb. Schmid. Annotat. in h. l. p. 601.* Qui cum Socinianis Mosaicas & Propheticas comminationes de poenis tantum temporalibus exponere nunc audent, doctrinam de peccatorum poenis & maledictione non intelligunt. David Hieropsaltes sane tam anxie desertionem Dei deprecatus non esset, *Psal. XXXVIII. 22. 23. LI. 13. LXXI. 9. 18. CXIX. 8.* nisi illa summam animæ calamitatem involveret, ac ut *Geierus in Psal. LXXI. 9.* commentatur, *infortuniosum omnium maximum foret. Hof. IX. 12.* Sane Vir divinus ablationem omnium bonorum temporalium, quæ profanum vulgus in felicitatis summæ parte collocat, tanti non fecit, quam jacturam divinæ gratiæ. *Pf. LXXXIII. 25.* Verum hæc, cujus amissionem æterna abjectio comitatur, excidisse, ipsi summum reputabatur malum. Philosophi, præsertim Stoici, hac in parte illis novis interpretibus Christianis sapientiores fuerunt; quando jacturam omnium bonorum externorum, quæ fortunæ vocantur, hominem infelicem reddere, negarunt; adeoque pro tanto malo non habuere; ut ita anxie de eo conqueri necesse habeat fidelis. Homines carnales nimium anguntur, si externorum bonorum affluentia carere cogantur, aut castigentur. Fideles autem de afflictionibus

bus

bus temporalibus potius gloriantur, *Rom. V. 3. Ebr. XII. 11.* contenti quippe divina gratia, in spiritualibus bonorum collatione demonstrata, omnes calamitates magno animo perferunt, exemplo Pauli *Rom. IX. 35. seqq.* Quo tamen asserto, non abnuimus, Deum saepius per calamitates vitae hujus immissas, impoenitentes etiam castigare, ac ad poenitentiam excitare: etsi pauciores inde ad meliorem frugem perducantur; cum inter impoenitentes semper plures reperiantur indurati, qui plagas sentiunt, nec emendantur.

§. XXIII.

Gratia igitur Dei, qua indurati privantur, paucis attingenda venit. Est illa affectus Dei cum effectu, seu benevola Dei affectio ad operationem conversionis hominis etiam relapsi tendens, hoc est, actualis communicatio mediorum salutis omnibus poenitentibus promissa. Qua de B. *Chemnitius in LL. Theolog. Loc. de viribus human. seu lib. arbitr. C. VI.* agit, ex Augustino gradus ejusdem explicans. Hanc Deum refractariis, contumacibus & penitus induratis, ex justo judicio auferre, B. *Hülsemannus* noster, cum sanioribus Theologis, ex illo classico loco *Matth. XIII. 12.* probat. *Qui habet* (i. e. gratiam verbo collatam retinet) *dabitur* (ulterior & intensior gradus.) *non habenti* (sive non habere volenti oblatum novum gratiae gradum) *ei etiam* (ex vindice voluntate divina) *auferetur id, quod* (de priore gratia hactenus (*habet*, (vel habere se putat.) Ita B. *Scherzerus in Breviar. Hülsem. Enucleat. p. 456. 458. & C. XIV. p. 955. 1025. 1029.* locum hunc ex *Hülsemanno*, & B. *Chemnitii Harmonia Evangelic. cap. LXI. f. 1090. seqq. παγα. Πεδ. ζε.* Quam paraphrasin hactenus cordatiores Theologi omnes admiserunt. Quia de excœcatis & induratis Christo sermo est: ut vers. 13. 14. 15. ac loca parallela evincunt. His autem ceu refractariis, Deus ex justo judicio, gratiam suam subtrahere atque eosdem deserere solet, nec *actualem etiam collationem doni perseverandi negligentibus & refractariis, ex judicaria* (ut *Hülsemannus*

Brev. c. XIV. §. V. loquitur,) voluntate largiri vult. Matth. XXV. 27. 28. seqq. Job. XVI. 1. 2. seqq.

§. XXIV.

Desertio autem Dei respectu peccatorum, qui vel *conver-*
ribiles, h. e. nondum extremum indurationis gradum attigere,
adeoque divina favente gratia, per poenitentiam adhuc con-
verti possunt: vel sunt *inconvertibiles*, ac ad extremum indu-
rationis gradum pervenere, quorum *impœnitentia*, à B. Geiero
in Psalm. XXXVIII. 4. *invincibilis* vocatur. Ut Antediluvia-
norum, Sodomæorum, Amoritaram, Pharaonis, Ægyptiorum,
Sauli, filiorum Eli, Chorazitarum, Bethsaidarum, Capernaita-
rum, Judæ proditoris, Phariseorum & Judæorum. Horum,
inquam, respectu desertio Dei in *temporariam* seu *partialem*,
& *totalem* seu *finale* potest distingui. Quam distinctionem,
qui non attendunt, comminationes de desertione Dei pro-
pheticas minus recte interpretantur. Quia promissiones gra-
tiæ illis saepe subjunctas, promiscue ad omnes induratos, sine
discrimine adplicant; ac adeo gratiæ fores induratissimis us-
que ad extremum halitum patere, ajunt. Ac ne quis novam
forte hanc distinctionem existimet, audiamus ex veteris Eccle-
siae Doctoribus, Io. Damascenum L. II. de orthod. Fid. c. XXIX. f.
149. seqv. Τῆς δὲ ἐγκαταλείψεως εἰσιν εἶδη δύο ἔσιν γὰρ ἐγκαταλείψις
οἰκονομικὴ καὶ παιδευτικὴ καὶ ἔσιν ἐγκαταλείψις τελεία ἀπογνωσικὴ
οἰκονομικὴ μὲν, καὶ παιδευτικὴ, ἢ πρὸς διόρθωσιν καὶ σωτηρίαν, καὶ δόξαν
τῷ πάροντος γνωριμένη, ἢ καὶ πρὸς ἄλλαν σῆλον καὶ μίμησιν, ἢ καὶ πρὸς
δόξαν θεῶ. Ἡ δὲ τελεία ἐγκαταλείψις, ὅτε τῷ θεῷ πάντα τὰ πρὸς σωτηρίαν
πέποικότῃ, ἀνεπαίδητῃ καὶ ἀνιάτρευτος, μᾶλλον δὲ ἀνιάτῃ ἐξ οἰκείας
πρόθέσεως διαμενῆ ὁ ἀνθρώπος. τότε παραδίδονται εἰς τελείαν ἀπώλειαν,
ὡς ὁ Ἰάδας. Φέσειτο ἡμῶν ὁ Θεός, καὶ ἐξέλαιτο τῷ αὐτῆς ἐγκαταλείψεως.
H. e. *Sunt vero due derelictionis species: est enim derelictio DI-*
SPENSATIVA & CORRECTIVA; & est FINALIS & de-
sperativa. Dispensativa quidem & correctiva seu eruditiva
ad

ad correctionem, salutem & gloriam patientis facta, aut ad aliorum zelum & imitationem, aut ad Dei gloriam. FINALIS vera derelictio, cum Deo cuncta, qua ad salutem sunt, faciente; incorrigibilis & IMMEDICABILIS, magis autem insanabilis ex proprio proposito permaneat homo. Tunc traditur in finalem perditionem, ut Judas. Quod à nobis avertat Deus, & à tali nos derelictione defendat.

§. XXV. Quod ut rectius intelligatur, indurationis gradus notandi veniunt. Non enim omnes contumaces peccatores aequali modo indurere. Antediluviani Genes. VI. 3. & Sodomaei indurati erant; sed ex Christi sententia magis indurati erant Chorazitæ, Bethsaidæ & Capernaïtæ, Matthi. XI. 21. 23. 24. Quia tanta horum pertinacia mentis fuit, ut nec verbo, signis ac miraculis expugnari posset; invincibilis ideo Theologis appellata. Qua etiam Pharaonem laborasse, quod nec divino mandato toties iterato, nec miraculorum frequentia se flecti pareretur, ex historia Exodi factis manifestum est. Gradus excoecationis & indurationis inde B. Dorſcheus in Sylloge vindic. & Animadverſion. ad Bellarmini in IV. Tom. controv. factas allegation. ex Exod. cap. IV. differtat. X. §. 21. ex gradibus desertionis divina deducit: ut pro minori aut majori permissionis aut desertionis gradu id malis, major aut minor sequatur gradus malitiæ & desertionis à Deo. Quod pag. 235. seqv. accurate declarat. Si enim homo peccatis (ait) jam sit gravibus commaculatus atque implicatus ex desertione atq; excidentia ab ordine divino libera, & accedat permissio divina circa ulterius, ex impetu nature corrupte ebulliens peccatum, denique desertio adveniat divina justissima sapientissimæque, que tantum auxiliorum subtrahit, quantum duritiei obstat, nihil amplius est, quod resultantem sive emerſuram indurationem retardare queat & impedire, sive reprimere. Tantum gradum permissionis aut desertionis, quantum OMNIMODA INDURATIO atque EXCOECATIO sequitur, pertinere ad



VOLUNTATEM DEI JUDICIARIAM, adeoque
prærequirere. saltem ordine natura, actum peccati antegredientis.
 Sed omnium induratissimi sunt peccatores in Spiritum S. quos
 Christus *Matth. XII. 31. & Paulus Ebr. VI. 4. 5. 6.* describunt.
 Quo enim abundantior ipsis gratia obrigit, eo pertinacius illi
 hanc non tantum respuunt, sed præterea etiam blasphemant.
 Id quod Christus l. c. Pharisaorum exemplo docet. Qui &
 verbum Evangelii repudiarunt, Spiritui S. per illud operari vo-
 lenti præfracte resistenterunt, & miracula, divina virtute à Christo
 edita, per summam blasphemiam, diabolica appellarunt, simul-
 que gratiam & gloriam divinam opprimere connixi sunt. Qua-
 propter in hoc peccato extremus malitiæ humanæ gradus de-
 prehenditur, ut in hac etiam vita illud sit maneatque irremissi-
 bile. v. *Lutheri tom. IV. Altenburgens. fol. 316. & fol. 544.* ubi vo-
 cat, eine unvergebliche Sünde: item: das ist eine schwere Sa-
 che / das nicht allein Sünde ist / darzu gleich selber unvergeblich ma-
 chet. Quod horum etiam esse dicit, die noch daher gehen mitten
 im Leben &c. Unde *D. Wilb. Lyserus* in System. Theolog. à Dn.
 D. Neumanno edito, p. 132. statuit, diem iræ Rom. II. 4. ex ju-
 sto Dei judicio, initium etiam in hac vita habere, ratione gra-
 tiæ quidem quoad peccatores in Spiritum S. proprie sic di-
 ctos. Quæ sententia etiam communis hæcenus Theologorum
 fuit.

§. XXVI.

Anno superiori d. 14. Decembris, Parisiis, Germanus Be-
 schefer, Jesuita collegii Parisiensis Rector, hanc thesin propu-
 gnavit: *unum peccatum sæpe est poena alterius peccati, non tamen
 per se, sed tantum per accidens, quatenus nempe obcecatione pu-
 nitur & obduratione; cum Deus prius desertus peccatorem dese-
 rit. Tres sunt desertionis gradus; Primus gratiam uberiorem,
 secundus minorem aliam, tertius vero omnem omnino excludit.
 Peccata gravia primo & secundo desertionis gradu in hac vita
 puniuntur: nulla autem puniri desertione summa, ita ut Deus
 opem gratiæ omnem peccatori subtrahat, magis videtur Augustini
 opinio-*

opinionem congruere, & aperte docet Autor libri de vocatione gentium. Eorum, qui ajunt peccatores nonnullos ita deseri à Deo, ut ab interiore illius luce penitus secludantur. & priventur omni motu, non una est opinio. Alii enim errant, dum asserunt peccatori plane obcæcato & indurato peccata nihilominus imputari: alii tolerabilius sentiunt, dum negant. Hac assertio Jesuitæ, cum quibusdam displicuisset, querelæ ad Archiepiscopum Parisiensem super illa delatæ sunt. Quare iste declarationem hanc ad Archiepiscopum de ea edidit: Primum itaque profiteor, nunquam in eam sententiam fuisse, ut crederem eos, qui vocantur obcæcati & indurati, non peccare amplius, vel summa illis peccata minime imputari à Deo; imo me semper tenuisse, & nunc etiam tenere, ex Scriptura & Patribus certo constare, quod peccent, & quod peccata illis imputentur. Simul agnosco positionem meam ita generalibus verbis conceptam fuisse, ut justas hujus explanationis postulandæ causas præbuerit. Profeor insuper, quantumvis mihi persuasum sit, obduratos nequaquam omni interiori gratia, carere quæ ad implenda præcepta sufficiat, hanc propterea voluisse me ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infimi nominis Theologos à catholicis, quos contraria in opinione aque in Ecclesia permixta versari certum est: neque cum in prædicta positione dixi errare illos, aliud à me intellectum esse, quam quod fallantur. Declaratio hæc Parisiis tertia Aprilis A. 1700. publicata, Actis erudit. Lipsiens. Calendis Augusti, hoc anno decurrente inserta p. 381. seqv. legitur. Non vacat hic in illa, quæ Scholastici de gratiæ definitione, distinctione atque Auxiliis ejus, ex Philosophiæ magis principiis, quam ex verbo Dei revelato alias disputare solent, inquirere. Id tantum animadverto, eos cum excæcationis, tum indurationis, & desertionis divinæ gradus recte agnoscere; recte etiam Beschèferum statuere, excæcatos & induratos in hoc statu suo adhuc peccare, iisque peccata etiam à Deo imputari; at in eo errare, quod obduratis nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta

cepta sufficiat, simul asserat. Qui enim naufragium fidei fecit, ac propter perseverantem animi contumaciam à Deo plane desertus est, illi nulla interior gratia amplius tribui potest. Quæ enim illa esset? Multo minus, si quæ esset, ad implenda præcepta sufficeret; cum nec abundans gratia illis adimplendis sufficiat. Interim modestia in Jesuita laudanda est, quod hac in parte dissentientes imitari censura notare abstinerit. An vero peccata gravia & regnantia eaque continuata, omnem Dei gratiam omnino excludant, ut desertione summa à Deo puniantur; id inquam, cum S. Scriptura & meliori Theologorum orthodoxorum parte asserimus, & ulterius probabimus.

§. XXVII.

Ubi tamen discrimen excœcationis & indurationis *rati-
ne obiecti* simul animadvertendum est. Nam illa contrahitur aut ex obfirmatione animi adversus patefactam in verbo Dei doctrinam salutarem, ex qua fides concipitur; aut ex obfirmatione animi adversus sanctitatem morum in lege divina requisitam, quam homo refractarius negligit, ipsaque scelerata vita constanter, nulla intercedente poenitentia, contemnit aut impugnat; ut in atheismum incidat practicum. Inde *D. Feuerbornius Tract. de Peccat. in Spiritum S. cap. XXI.* indurationem induci animo vel per peccata *doctrinaria*, vel *moralia* statuit. Illa dicuntur, quod per apostasiam & perversam impugnationem veritatis divinæ in verbo revelatam admittantur; ac adeo ignorantiam fidei prave adfectatam involvant; hæc scelera & flagitia continuata sunt, quibus fides & vitæ sanctitas omnis tandem extinguitur. Ut vero priora peccata excœcationem, quæ ad intellectum immediate spectant, primo pariunt; ita posteriora indurationem voluntatis produciunt, ut ad omne opus bonum non amplius sit idonea. Sed excœcationem intellectus semper induratio voluntatis comitari assolet. Ubi enim lumen spirituale intellectus extinctum, voluntas, quæ per se po-

ten-

tentia cœca, & affectibus pravis præterea obnoxia est, non potest non obrigescere & indurari atq; callum obducere.

§. XXVIII.

At cum peccata utriusque jam nominati generis sint inæqualia, *excœcatio* & *induratio* quoque gradus suos habeat, necesse est. Nempe alia est *inchoata* (partialem dicere possis) alia *consummata* seu *totalis*: *Dorscheus* supra §. 25. *omnimodam*, *B. Wilb. Lyserus*, §. seqv. 29. *confirmatam* vocat. Utraque iterum vel in homine irrogenito seu gentile, vel renato seu Christiano est. *Inchoata*, quod irrogenitum spectat, est eorum, qui lumen rationis congenitum per scelera opprimere incipiunt; ita tamen, ut nondum *ἀνάσθητοι* seu *ἀπηληγηκότες* facti sint; sed quandoque conscientia dictamina honesta sentiant, iisque adhuc locum interdum relinquunt: *Consummata* autem induratio inter gentiles est eorum, qui dicente Apostolo, *ὡς ἀδόκιμον ἔβην*, in mentem iudicii expertem traditi *Rom. I. 28. ac ἀπηληγηκότες dedolentes* facti sunt, *Eph. IV. 18. 19.* Quales ex parte Romani, & ex parte Ephesii fuerunt. Nam etsi inter istas gentes aliqui conversi sunt; eos tamen ante fuisse in numero penitus induratorum probari nequit. Locus, qui à quibusdam *ex I. Cor. VI. 11.* illius sententia probandæ gratia allegatur, id sane non evincit. Cum Apostolus hic non de penitus induratis, sed vers. 9. 10. de gravioribus inter illos peccatoribus loquatur; qui nondum, ut multi Romanorum & Ephesiorum, in peccatis regnantibus prorsus occalluerant. Si tamen inter hos aliqui etiam fuissent, non potest ex loco hoc Paulino demonstrari; quod & illi *abluti, sanctificati & iustificati* fuerint. Apostolus enim vers. 11. de quibusdam, non de omnibus id affirmat. Quare non recte à particulari assertionem ad universalem colligitur.

§. XXIX.

Quod vero excœcatos & induratos ex numero renatorum, qui in externa Ecclesiæ societate vivunt, attinet, itidem inter *inchoatam* (alii *antecedentem* vocant) eorum, & *perseveran-*

D

seu

sem seu consummatam (quæ etiam finalis est) indurationem distinguendum venit. Illi sunt, qui peccatis quidem mortalibus immersi, ad tempus gratia Dei exciderunt; sed nondum ἐπεσώθησαν, occalluerunt, aut per πνεύμα κατανύξως, spiritum soporis, penitus velut veterno aut lethargo consopiti, ut nec oculis mentis amplius videant, vel auribus audiant ac τὰ πνευματικά intelligant; seu Paulus totalem plurimorum Judæorum excœcationem describit Rom. X. 7. 8. Ad illorum classem, tum quosdam apostatas & idololatrias, tum alios malignitate morum inter Hebræos frequenter olim infectos referimus. Quales *Jesaias cap. LXV. 2.* & *Jeremias cap. III. 12. Ezech. XI. 19. XXXVI. 26.* alloquuntur & ad resipiscentiam revocant. Quamquam & in horum turba fuisse contumaces penitusque induratos, ex *Jes. cap. cit. vers. 12. 13. Jerem. cap. cit. vers. 20. & Ezech. l. c. vers. 21.* colligitur. Confer *Hülsemanni Comment. in Jerem. Cap. VI. 12. p. 128.* Consummata autem & totalis induratio eorum est, qui vel peccatum in Spiritum S. admifere, vel ob scelera patrata, & inolita peccandi consuetudine continuata, Deo prorsus deserti, in sensum reprobum traditi, peccata subinde cumulantes tandem obbrutuerunt. In his πάροσις τῆς καρδίας, durities cordis Rom. XI. 7. Job. XII. 40. ἀπαλγνσία, stupor Ephes. IV. 19. πνεύμα κατανύξως spiritus soporis vel veternis mentis, Rom. XI. 8. prævalent. Indetales 1. *Timoth. IV. 2. κεναντηνεασμένοι τὴν συνείδησιν,* cauteriatam conscientiam habentes dicuntur. Confer *Balduini comment. in h. l. & L. I. de conscient. ejusque casibus in genere, p. 36. n. 4. seqv.* Atque hic gradus dicente *D. Jo. Schmidio, in Comment. Zachar. cap. VII. 11. plerumque æternum animæ dispendium habet comitem.* Idem in *cap. IV. 10. Amos. p. 585.* Qui spectis omnibus admonitionibus, debortationibus, peccata peccatis cumulant, tandem sibi ipsis indurationem contrahunt, per quam fit, ut nullis rationibus, imo ne plagis quidem emolliri aut curari possint: conf. exempla *Caini, Pharaonis, Sautis & similia; imprimis totum populum Israëliticum, qui, cum ex eo tempore, quo à regno Judæ de-*
fecit,

fecit, innumeris afflictus fuit calamitatibus, non tamen ad extirpandam idololatriam & alia peccata serio fugienda flecti potuit. Adde quæ sequuntur in vers. 18. apud Schmidium, l. c. Grande hoc malum poenæ Deus, *Deuter. XXXVIII. 28.* refractariis & obstinatis Ebrais comminatus est: *Percutiet te Jehova furore & cæcitate, & stupore mentis.* confer *Psalmum LXIX. 24. seqq.* Gradus hosce indurationis agnovit & declaravit etiam solidioris iudicii Theologus Wittebergenfis, *B. D. W. Lyserus in System. Thetico-Exeget. p. 1489.* Amor tenebrarum, scribit, hæc malitia (resistendi conversioni) appellatur *Iob. III. 19. 20.* qui ipse perversus amor operationem Spiritus S. impedit, atque tunc superior nominata πνεῦμα voluntatem in malitia duriores reddit. Quæ ipsa tamen itidem GRADUS admittit, & quandoque, si in primis adhuc vis manet, a Spiritu S. per idem illud verbum tollitur: quæ de πνεῦμα hic (*2. Cor. III. 15. 16. 17.*) agit: Sin vero plene NB. CONFIRMATA sit, INDURATIO INCORRIGIBILIS tandem succedit. Sicque aliqui ex Judæis, de quibus Apostolus hic loquitur, utique conversi fuerunt. Velamen ergo illud odii erga Christum ablatum. In plerisque reliquis malitiæ incrementa subinde sumens NB. INCORRIGIBILIS PERMANSET. Atque hoc Martinus Chemnitius L.L. Theolog. Part. I. Loc. V. c. IV. fol. 140. cum excæcationis causas perspicue explicasset, etiam innuit: *Recedit Spiritus Dei bonus 1. Reg. XVI. 14. & mox in domum purgatam intrat Spiritus malus Luc. XI. 25. & 26. Et tunc si homo audiat verbum, videat miracula & c. non convertitur, sed magis exacerbat, induratur, excæcatur, ut etiam ea, quæ antea intellexit & amplexus est, amittat.* Quod Christus Matth. XIII. 12. de induratis loquens docet. Adde *Hülsem. Comment. in cap. III. 24. 20. Jerem. p. 62.* Consuetudo peccandi, ait, nisi ei mature obviam eatur, adeo tandem invalescit, ut ex hominibus bruta faciat, iisque NB. OMNEM RESIPISCENTIÆ SPERM adimat, quæ certissimæ sunt indurationis indicia, quando Satanæ impellit hominem, quocumque vult, & c. Conf. *D. Io. Tarnov. Com. in Amos. c. I. p. 559. & c. IV. p. 622.*

§. XXX.

Ex hac *indurationis* differentia, quæ maxime attendenda est, liquet, supremum illius gradum in peccato in Spiritum S. latere, quod *Matth. XII. 31. 32. Ebr. VI. 4. 5.* describitur. Nam in intellectu eorum, qui tale patrarunt, non tantum lumen gratiæ penitus extinctum est; in voluntate & affectibus omnes gratiæ vires per regenerationem & renovationem ante concessæ, perditæ sunt: sed in ejus locum tenebræ successere cum studio malitiose contradicendi & blasphemandi veritatem ante agnitam, eo animo, ut deleatur & opprimatur illa. Unde *Hülsemanno* iudice, peccatum tale est *irremissibile*, non tantum *de facto*, sed etiam *ex decreto Dei peremptorio & irrevocabili, etsi non absoluto, sed fundato in præexistente conditione: itaque non solum ab eventu, quod Dan. Tilenus, inter Reformatos celebris Theologus vult, Syntagm. P. 1. c. 57. sed ut Hülsemannus loqui amat, ob quidditatem & atrocitatem ejus intrinsicam, adeoque non in sensu diviso, h. e. si abstrahatur peccatum hoc à perseverantia repugnationis & impugnationis, (quæ est contradictio in adjecto, semper enim includit perseverantiam) verum reduplicative, & in sensu composito, quatenus scilicet & peccatum est, & non desinit esse peccatum in Spiritum S. Quemadmodum proinde cæco non possunt monstrari sidera cæli; quia hoc est de formali cæcitatatis, ut videre nequeat: ita etiam est de formali peccati hujus, non solum repudiare, sed & persequi & impugnare omnes causas, summas, medias ad illuminationem & regenerationem ordinatas. vid. *Hülsem. Vindic. S. Script. per loca classica System. Theolog. Artic. XXIX. ii. Prælect. in Form. Concord. Artic. V. sect. VI. D. Feuerbornii tractat. de Pecc. in Sp. S. C. XXVI. sequ.* Qui istud in fine vitæ demum irremissibile fieri putant, illi nec verba Christi *Matth. XII. 32. Marc. III. 29. Ebr. VI. 4.* nec discrimen hujus peccati, à peccato mortali finaliter impoenitentis intelligunt, aut de statu penitus induratorum recte judicare valent.*

§. XXXI.

Non tantum vero summus indurationis gradus in proprie sic appellato peccato in Spiritum S.prehenditur; sed etiam in aliis, qui in extrema morum malignitate induruerunt, ut Antediluvianis, quos Spiritus S. *Gen. VI. 3.* deseruit, Sodomæis atque similibus in sensum reprobum traditis. Inter quos, Pharaon, Filii Eli, Saulus ac Judas imprimis exemplo esse possunt. Quos ob summam animi indurationem, Deus ante excessum e vira, omni gratia, ex justo iudicio subtracta, & temporali & æterno supplicio devovir. De Pharaone supra §. 17. *Varenius* gravissimus Rostochiensium Theologus id probavit. Induratio enim ejus perseverans atque finalis fuit. Ideo dici nequit, Pharaonem in hoc statu consideratum, proxime ante suffocationem in undis, potuisse converti; cum *Exod. XI. 20. XIV. 4.* in ultimum indurationis gradum incidisset. De filiis Eli *1. Sam. II. 30. seqq. & cap. III. 12. 13. 14.* *Brentius*, Lutheri iudicio magnus & orthodoxus Theologus, in *1. Sam. II. Homil. X. fol. 78. 79.* scribit: *Sic Dominus nonnunquam tradit impios, ut Paulus scribit, per cupiditates cordium suorum in immunditiam. Sic excæcat & indurat impios, ut juxta Esaiam auribus audiant, & corde non intelligant, nec convertantur. Huc si respexerimus, induravit Dominus cor Pharaonis, ne verbo Dei per Moysen predicato fidem adhiberet. Sic Dominus induravit filios Eli, ne verbo patris, quod erat monitio divina, obedirent. Videbat enim Deus imperscrutabili sua sapientia, quod filii Eli propter scelorum magnitudinem & atrocitatem, respicientia indigni essent. Subjecit verba paulo duriora, quæ transferbere omitimus; addit tamen, Deum ideo non esse causam malitiæ, sed esse id, iustum inferre supplicium propter malitiam. Conf. fol. 111. & in homil. LIV. f. 553. de Saule indurato agens, quærit: Quem autem projicit Dominus, nisi induratum & nolentem respicere? Qui non crediderit, ait Christus, jam condemnatus est. Pro indurato autem & non respiciente frustraneus est omnis luctus, intercessio, preces & oratio.*

Conf. f. 723. Sic Judas, *filius perditionis Job. XVII. 12.* adpellatus, *Job. XIII. 2.* jam excœcatus erat, sed magis finaliter induruit, cum Satanas ipsum ingressus v. 27. scelus præmeditato patrare constituisset. Quo facto, ante suspensionem, gratiæ januam ipsi adhuc patuisse, nemo probaverit. Christus enim illi ante desperandum excessum, vā æternum denunciavit, addendo, bonum ei fuisse, si natus non fuisset homo. Quod sane de homine adhuc convertibili dici nequit, *Matth. XXVI. 24.* Posset Achabus *1. Reg. XXI. 20.* & alia exempla in s. literis passim obvia addi, nisi res manifesta foret.

§. XXXII.

Quorum ergo *induratio est consummata*, ac *finalis*, illi omnīs gratiæ ante excessum fiunt exfortes, atque pœnitentiam agere amplius nec volunt, nec possunt; quippe ob mentis pervicaciam, iusto Dei iudicio (ut Isagoge Carpzoviana in Libr. Symbolic. p. 1649. statuit,) *finaliter deserti.* Id quod Lutherus, Hutterus, Balduinus, Hülsemannus, Geierus, Schmidii aliique profundioris doctrinæ & iudicii Theologi à Dn. Præside meo alibi allegati, cum Formula Concord. p. 808. 813. 820. (ubi peccatores convertibiles, *induratis* ceu inconvertibilibus opponuntur,) ex S. Scriptura asseruerunt & demonstrarunt. Ut mirandum sit, istam veritatem a quibusdam vellicari, aut etiam impugnari.

§. XXXIII.

Ajunt quidem illi, oggerentes; etiam penitus excœcatos & induratos esse adhuc in via regni gratiæ, audire verbum Dei, uti Sacramento S. cœnæ, frui gratia Dei assistente, Deumque nolle mortem morientis *Ezech. XVIII. 32.* At ex saniori Theologia etiam constat, viatores impœnitentes non ingredi viam mandatorum Domini, quæ ad cœlum ducit, sed in tenebris ambulare, *Job. XII. 35.* ac præcipites sæpe ruere in foveam, unde eluctari nequeant; aut via spatiosa, quæ abducit ad exitium, incedere, *Matth. VII. 13.* Similes in regno gratiæ indurati & refractarii

ctarii sunt rebellibus, quibus, dum semetipsos gratia Dei per flagitia indignissimos reddunt, Deus gratiam subtrahit, *Psalm. LXXXI. 13. Act. XIII. 4. 6.* Nec auscultare Dei verbum cum animi contemtu & morosa repugnantia, illis prodest, *Ebr. IV. 2.* Quin ipsis per accidens fit odor mortis ad mortem *2. Cor. II. 16.* Neque ideo efficaciam ejus quicquam decedit, aut virtutem illuminandi amittit: Semen germinandi vim retinet, etiam quando in solum salebrosum aut arenosum projectum est, *Luc. VIII. 6. Matth. XIII. 5.* Lumen solis facultatem videndi coecis non reddit; licet oculos habentes apertos illuminet. Confer *Menzeri diss. XV. tom. I. Dissp. Giffens. p. 766.* Usus S. Eucharistia, Lutheri nostro docente in Catechismo. *postulat omnino cor, quod Deo credit;* Hoc autem indurato deest. Apud Ezechielem Deus capite allegato & *c. XXXIII. II.* de voluntate sua gratiosa erga omnes antecedente loquitur, & contra Judæorum iniquam exceptionem, simul justitiam suam punitivam asserit v. 26. concludendo, juxta voluntatem antecedentem gratiam se mortem morientis nolle. Nam si eam absolute, aut voluntate judicaria noller, nullus impoenitens, ac adeo ne maxime iuduratus in peccatis suis decederet atque periret. Imo si cum *B. D. Kortholto disput. de Grat. Dei universali, Kiloni a. 1681. habita §. 8.* attendimus, sermo Prophetæ hic non est de morte corporali, sed *spirituali* & æterna, a qua justus est exemptus *c. XIX. 21. seqq.* & cui impoenitens necessario, & inevitabiliter est subjectus. Id quod de corporali seu naturali dici nequit; quum multi impoenitentes naturali morte moriantur. Itaque ex illo loco penitus induratis velle gratiam usque ad finem vitæ promittere, absurdum est; cum illi nec velint, nec possint poenitentiam agere. Confer *Formul. Concord. p. 820.* & in hanc *Isagogen Carpozovianam a B. Io. Oleario* continuatam p. 1665. Nec gratia assistens, si pro continuatione gratiæ jam collatæ sumitur, *Ies. LIV. 10. 1. Petr. V. 10.* ad penitus induratos spectat. Qui enim gratia conversionis & justificationis, sine spe illam recuperandi, excidit, is gratia

gratia assistente gaudere amplius nequit. Et quid demum, si gratia assistens omnes usque ad extremum vitae halitum comitatur, ad illam Christi comminationem sane gravissimam, apud *Matthæum c. XXI. 43.* responderi poterit? ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus: An ablato regno gratia, gratia assistens remanere potest? Si Deus ob perseverantem impœnitentiam cito venit, & candelabrum suum de loco suo movet, ubi gratia assistens? Semel, inquit, *Hülsemannus noster, de auxiliis Grat. p. 154. omnes simul per Evangelium vocare promisit, Jef. XLIX. 6. & hoc præstitit: iterationem non promisit.* Et hoc est, quod B. Lutherus noster multis in locis inculcavit. Gravissima etiam sunt verba *B. Egid. Hunnii Part. II. Postill. f. 376.* quæ hic adscribi merentur: Wie wohl aber keine Buße zu spath ist/ wem sie ernstlich ist: jedoch hat Gott dir noch lange weder Brieff noch Siegel dafür gegeben / daß dich nicht das Verderben etwan plöglich überfallen möchte / und du weder Raum noch Zeit haben köntest zur Buße. Zumahl weil sich Gott nicht will mit Worten bezahlen lassen: Daß einer mit dem Munde spräche: Ach Gott/ sey mir Sünde gnädig / und doch das Herz weit davon wäre / oder solche Worte nur aus Furcht der ewigen Straffe / gar nicht aber aus gründlichen rechten wahren Ernst / und ungesälchter Bußfertigkeit gesprochen werden. Denn einmahl Christus der Herr ausdrücklich sagt / *Matth. VII.* nicht ein jeder / der da spricht: *HEU / HEU* / wird eingehen in das Himmelreich. So ist auch die rechtschaffene Buße nicht ein Werck unserer Kräfte / daß wir könten gründlich und recht Reu und Leid haben über die Sünde / wann wir wollen / oder an *JESUM CHRISTUM* glauben / wenn wir wollen; Sondern ein Werck Gottes ist Buße und Glaube / und rühret her von dem *H. Geiste* / der da bläset und wäbet NB. wo / und in wem er will / und nicht eben / wo und wenn wir wollen. Denn aus uns selbst / als aus uns selbst / sind wir nicht tüchtig etwas gutes zu gedencen / will ge-
schweie

schweigen / zu thun. **G**ott aber ist allein / der uns durch sein Wort und Kraft tüchtig darzu macht / und in uns wirket das Wollen und Vollbringen / nach dem Spruch. Gebeth des Propheten Jeremia: Befehre mich / so werde ich bekehret: und wiederum: Heyle du mich / **H**err / so werde ich geheylet / bilff mir / so ist mir geholffen. Da aber ein Mensch auff **G**ottes Barmherzigkeit aus muthwilligen Fürsaz so freventlich sündiget; Dem soll **N**B. durch **G**ottes Gericht nicht zurheil werden / daß er sich von Grund des Herzens bekehren / oder warhaftig und mit solcher Zuversicht an **J**esum **C**hristum gläuben könne / die wider die letzte Anfechtung des Teuffels und der Sünden bestehen könne / sondern **G**ott entzucht solchen muthwilligen unbusfertigen Frevlern **N**B. seine **G**öttliche **G**nade und **K**raft zur **B**ekehrung / und ohne alle **B**armherzigkeit läffet Er sie in ihren Nöthen stecken / wie Sie haben verdienet. Welches die himmlische Weisheit in den Sprüchen Salomonis am ersten Capitel / allen solchen rohen Verächtern zu Gemüthe führet / mit diesen nachdencklichen Worten: Weil ich denn ruffe / und ihr wegert euch &c. Huic subjungo alium Theologum Wittebergensem, *B. Jac. Martini*, disputatorem acutissimum, qui in disput. Theologic. XI. de peccato actuali. M. Jo. Scharfio respondente, §. 20. 21. ait: Interim non negamus, Deum loco pœnæ impenitentes subinde in graviora incidere peccata permittere. Quando enim nullus pœnitentia conceditur locus, Deus ut justus judex & vindex scelerum, gratiam suam subtrahit, Rom I. 28. qua subtracta, homo suis committitur cupiditatibus, & quia ex se nihil omnino boni agere quit, indies magis magisque in peccata ruit, peccataque peccatis cumulat. §. 28. Quando vero cum peccatore eò perventum est, **N**B. de illius conversione & salute actum esse videtur. In quam sententiam allegat canticum: Ich fürchte fürwahr / die **G**öttliche **G**nad / die Er allzeit verspottet hat / wird schwerlich ob Ihm schweben.

E

§. XXXIV.

Hac de causa nostrates Theologi viarum & judiciorum divinorum periti omnes, hunc *induratorum statum*, ut maxime calamitosum describunt. *Lutherus* Tom. VII. *Altenb. f. 151.* Wenn man so bleibet / verdorret (wie eine ausgerissene Rebe vom Weinstock) und verstocket in Irthum / das ist Pharao, Judas und andere / die nicht wollen noch können wieder kehren zur Busse. --- NB. sie sind schon so tieff in der Hölle / wie sie seyn sollen &c. *Job. XV. 6.* adde *fol. 171.* *Hülsemannus Comment. in Jer. c. XVI. in Aphor. pract. ex diligenti recensione B. Calovii cum prefatione D. Alberti & Dn. M. J. Andr. Gleichbenii correctione spalmatum typographicorum & indicibus edito p. 27b.* de induratis agens scribit: NB. *PROFECTO non alia ejus hominis (plane indurati) conditio est, quam epulonis extra omnem veniam spem positi; Luc. XVI. 26.* *B. Geierus comment. in Prov. c. I. vers. 28.* Postquam desertionem indurati totaliter delineasset, subdit: *Quapropter NB. cum impiorum infernus quodammodo hic incipiat, non mirum quoque NB. pœnitentia non esse locum.* Et iterum *Hülsemannus* noster in cap. XI. *Jer. vers. 12.* *Aphor. pract. Quando ex desertione DEI, homo prorsus induratur atque in sensum reprobum datur, tantis superinduitur malis, de quibus exire non poterit, & stupore quodam spirituali superatur, de quo dicitur Prov. XXIII. 34. Rom. I. 28. & in Cap. XXI. v. ult. Jerem. Aphor. Pract. Etiam si omnes DEI pœne metuenda sint; imprimis tamen NB. inviolabile illud decretum, quod omnem futuram gratiam hominibus refractariis (loquitur de induratis in hac vita existentibus) denegat.* *B. D. Geierus in Psalm. II. 5.* etiam de angoribus Conscientiæ, quos penitus indurati quandoque sentiunt in hac vita gravissimos, hæc annotavit: *Desinet invitare ipsos ad suum regnum post delusum gratiæ tempus tam turpiter; quin gravi maledictionum potius percutiet eos fulmine; adeo, ut in conscientia sua indefinenter audiant ea, quæ nulla forissecus percipere potest auris; ut in-*
tus

tus etiam experiantur Dei vultum, quem nullus persentiscit oculus exterior. Et paulo post: Impletum hoc variis ac ineffabilibus conscientiarum tormentis, quæ experti sunt non semel persecutores Ecclesie sanguinarij, adeo, ut verum non raro de iisdem fuerit poeta:

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Memorabilis etiam locus B. D. Sebastiani Schmidii in Jer. c. VII. 16. Comment. p. 301. adponi adhuc meretur: contra decretum, inquit, divinum jam NB. peremptorie factum, non valet intercessio. Ratio in promptu est: quia ejusmodi decreta divina sunt IUSTA & IMMUTABILIA. Nec dubium hoc est, quantum ad decreta Dei absoluta attinet: quippe quæ hoc ipso, quod absoluta sunt, sunt etiam peremptoria. Jam vero NB. CONDITIONATA, quando conditio non impletur, hoc ipso in ABSOLUTA transeunt. Et hæc etiam ratio est, quare Prophetæ Ierobobab dixit: Et tu ne ores &c. Plura hic testimonia in re oppido manifesta, cumulare nolo, ne lectorem stuporis arguere velle videar.

§. XXXV.

Exemplis tamen hic status induratorum ex historia illustrari poterat, quæ judicia divina particularia comprobant: ut quorundam jam induratorum maleficorum & flagitiosorum hominum, quæ nullis ex verbo divino allatis argumentis poenitentia persuaderi potuit; aut phreneticorum, qui ob antegressa scelera, diu ante finem vitæ, à Deo deserti, gratia conversionis exciderunt, ejusque in hoc statu usque ad finem vitæ durante compotes fieri non potuere. Sed hæc materia digna est, quæ peculiari dissertatione expendatur. B. D. Nic. Selnecker, Theologus & Superintendens Lipsiensis eruditione & prudentia theologica maxime insignis, in Annotat. ad libr. Sapient. C. V. notanter scribit: Harum (æternarum) poenarum imago sæpe



conspicitur in hominibus, qui in desperatione miserrime percutunt, quam videlicet illi crucientur, nullamque consolationem admittant, quam se ipsos execrentur & damnent, quam ortus sui diem extreme abominentur & recordando detestentur. Exemplum nostro tempore praebeant nonnulli ex adversariis, & extat historia horribilis de Jacobo Latomo, qui contra Lutheranos, ut vocant, doctus, quam alii, scripsisse fertur. Is cum morti vicinus esset, convocari iussit magistros, viros doctrina nomine suspectos, & omni eruditione absolutos, ut Erasmi verbis utar, & astantibus cum gemitu & suspiriis ex alto ductis, inquit: Vos propterea iussi vocari, ut testarer vobis doctrinam Lutheri, quam hactenus persecutus sum, veram esse vocem Christi & Apostolorum, meque iusto Dei iudicio, qui contra conscientiam in gratiam vestram veritati restiti, esse damnatum. Ipsi cum attoniti & stupidi sese intuerentur, & cordatores juberent eum, non desperare de salute, etiam si iudicaret, se male fecisse, ille de piorum suppliciis & exitio, qui autore se & occisi, & pulsi essent, multa referens, tandem magno cum gemitu addidit: Frustra laboratis, quia certo scio, me damnatum esse. Hac edita voce expiravit. Commemorat Alesius similem historiam, qua in patria sua acciderit, fuisse scilicet consiliarium Regis Scotiae, Thomam Scotum, qui Regem incitasset, ut purioris doctrinae Evangelii professores persecueretur. Is cum mortem adesse vidisset, exclamavit, se esse damnatum. Cum vero monachi, quorum patronus fuerat, multa ei concionati essent, iussit eos tacere, inquiens: Hac omnia etiam antea a vobis audivi; sed tamen nunquam ex animo credidi, vel Deum, vel diabolum esse, vel caelum, vel inferos, neque vestram, neque contrariam doctrinam curavi; sed tantummodo pecuniam quaesivi, cuius cupiditate illectus vobis & Episcopis gratificatus sum, & in vestram gratiam Regi autor fui, ut pios & innocentes viros opprimeret. Nunc vestrae missae & preces mihi nihil profunt, quia diabolus jam me sibi adjudicatum & damnatum ducit ad inferos. Eadem nocte Rex horribiliter territus est in somniis,

Et cum experrectus esset, quæsit de valetudine Scoti. Scio, inquit, cum mortuum esse, & brevi eum sequar, id quod post paucos dies evenit, ortis motibus magnis inter Anglos & Scotos. Nota sunt historia similes, de Heliodoro, qui subita consternatione oppressus est, cum in urbe Ierosolyma templum spoliaturus esset: de Nerone, de Theodorico Veronensi, & aliis multis, ac nostra atate de Hafmeistero, de Francisco Spira, atque compluribus, quorum exemplis moniti discamus timere Deum, nihil faciamus contra conscientiam, non differamus conversionem & seriam penitentiam. Recte enim dicitur. Sera penitentia, raro vera: si vera, non sera. Meminerimus igitur sententia Davidica Psalm. XCV. Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et Christus monet nos, ut vigilemus, cum horam adventus Domini ignoremus. Matth. XX. Confer etiam B. D. Baieri disput. de Agone §. 6. Sed mihi jam abrumpendum est. Deus, pater misericordiarum, propter Christi nomen, omnes, qui non præfracte gratiam suam respuunt, à judicio indurationis servet immunes, nosque omnes gratiæ suæ infinita vasa esse sinat in æternum!



Decorative border consisting of three rows of repeating geometric and floral patterns.

B. C. D.

Index & ordo rerum

in

Hac Disputatione.

§. I.

- I. *Induratum* peccatorum status miserrimus.
- II. Homines *indurati* ita per metaphoram vocantur.
- III. Hujus adpellationis origo apud Ebraeos & Græcos refertur.
- IV. *Induratum* descriptiones in S. literis vel à partibus externis *corporis*, vel à facultatibus animæ peuntur.
- V. Quæ sunt *corporis*, recensentur.
- VI. Recensio illa continuatur, additis rationibus.
- VII. Descriptiones *induratum* ab animæ facultatibus desumtæ.
- VIII. Subjectum *indurationis* proprium, *anima* hominis.
- IX. Ejusdem facultates, *intellectum* & *voluntatem* excoecationis & *indurationis* vocabula respiciunt.
- X. *Induratio* hæc, aut *conmata*, aut *affectata* seu acquisita est.
- XI. *Acquisita*, deterior est *innata*.

XII.

B.C.D.

E

- XII. *Indurationis* causa tres sunt (*a. ipse homo.* XXXX
 XIII. (*β. Diabolus.* XXXX
 XIV. (*γ. Deus, ut justus iudex consideratus:* XXX
 XV. Quod probatur. XXXX
 XVI. Quomodo Deus *indurare* dicatur? XXXX
 XVII. Id D. A. Varenii, exemplo Pharaonis imprimis declarat. XXXX
 XVIII. Modus ille ex Huttero, Meisnero & aliis ulterius exponitur. XXXX
 XIX. Ex sententia D. G. Mylii comprobatur. XXXX
 XX. Et dilucidatur. XXXX
 XXI. *Desertio Dei* huc spectat. XXXX
 XXII. *Quæ* subtractionem aut denegationem gratiæ economicæ connotat.
 XXIII. *Gratiæ* illius descriptio & ablatio.
 XXIV. *Desertio Dei* hinc respectu ad peccatores diversi generis habito, est vel *temporaria* seu *partialis*, vel *totalis* ac *finalis*.
 XXV. Hinc Gradus excecationis & indurationis diversi, quorum extremus est peccatum in Sp. S.
 XXVI. Bescheferi, Jesuitæ Parisiensis, *thesis* de excecationis, indurationis, itemque desertionis gradibus adducitur & notatur.
 XXVII. *Induratio* cum respectu doctrinæ divinitus patefactæ, tum respectu morum dicitur.
 XXVIII. *Excecatio* & *induratio*, respectu utriusque objecti habito, est aut *inchoata*, aut *consummata*: quæ iterum vel in *irregentis* vel in *rematis*prehenditur. XXIX.

XXIX. *Induratio renatorum inchoata, & consummata* ta distincte describitur.

XXX. *Consummata & omnimoda indurationis exemplum*, sunt peccatores in Sp. S.

XXXI. *Item profligata & incorrigibilis malitia hominum*, quorum exempla allegantur.

XXXII. *Tales gratia divina salutifera, in hac vita jam*, in sua culpa, quidam ex fortes seu expertes fiunt.

XXXIII. *Rationes, quae huic assertioni ob stare videntur*, paucis diluuntur.

XXXIV. *Status plane induratorum in hac vita jam miserimus* describitur.

XXXV. *Exemplis illustratur & dissertatio abrumptur.*

FINIS.



Aug VI 49 (1)

ULB Halle

3

001 853 821



5b.

VD 17

Retros ✓







Q. D. B. V. 30.
27
De
**STATU
INDURATORUM,**

ex
Consensu Facultatis Theologicae,

in
Academia Lipsiensi,
moderante

ADAMO RECHENBERGIO,

S. Theol. D. & P.P.

Dn. Præceptore atque Hospite suo
atatem devenerando,

in
Acroaterio Colleg. Maj. Principp.

d. XXIII. Nov. A. Chr. M DCC.

solemniter disputabit

M. SAMUEL BARTHEL,

Grimma Misnicus.

L I P S I Æ,
Typis JO. HEINRICI RICHTERI.